

1774 F.W. Kauhlen: Dissertation über das
Roisdorfer Wasser¹

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
IN QUA PROPONITUR
EXAMEN
FONTIS MINERALIS
SOTERII ROISDORFFIENSIS
PROPE BONNAM

QUAM EX DECRETO CELEBERRIMÆ ET EXPERIENTISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
QUÆ IN UNIVERSITATE REGIA BORUSSICA DUISBURGI
CLIVORUM FLORET
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
PUBLICE
ET SINE PRÆSIDE DEFENDET
AUTHOR
FRANCISCUS WILHELMUS KAULEN
DYCKANO HEMMERDENSIS
DIE 2² MARTII MDCCLXXIV [=02.03.1774] H[ora] L[oco]Q[ue]
S[olitis]
DUISBURGI AD RHENVM
Typis Fr. Ad. BENTHON, Academ. Typogr.

< >

¹ Fundstelle: books.google.com.

² Handschr. nachgetragen.

ILLUSTRISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D[omi]N[o] JOANNI FRANCISCO WILHELMO³
S[acri] R[omani] I[mperii] ANTIQUO COMITI
IN SALMET REIFFERSCHIEDT,
DYNASTÆ IN DYCK, BEDBURG, ALVETER, DOLLENDORFF, ET
HACKENBROICH,
DOMINO HÆREDITARIO
LIBERÆ JURISDICTIONIS DICTÆ
GRÆFLICH-LAND
MARESCHALLO HEREDITARIO
ARCHIEPISCOPATUS COLONIENSIS etc. etc. etc.
DOMINO SUO GR[a]TIOSISSIMO
FELICITATEM. < >

ILLUSTRISIME
S. R. I. ANTIQUE COMES
DOMINE GRATIOSISSIME!

Cui potius, quam VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ hoc meum opusculum dedicandum foret, quippe in cujus ditone & fons descriptus salutaris scaturit, & mihi auctori prognitum esse contigit.

Dynastia quidem Alfterensis in qua pagus Roisdorff, & non longe ab ipso acidulæ Roisdorffienses habentur, antiquis Romanorum habitationibus, & munimentis celeberrima est, quam olim Albanum vetus, postea corrupto sermone Alvetre, tandemque ulterius serpente vocis corruptela Alftren vocatam fuisse Ægidius GELENIUS & alii non contemnendi autores persuadent. Quo autem tempore fontis salutaris scaturigo primum ab accolis observata fuerit, ex <1> historicis annalibus eruere mea tenuitas non valuit. Oportet sane, ut priscis admodum temporibus evenerit, & ultra omnem hominum memoriam, ita ut ipsis Romanis, qui in fontibus fodiendis & custodiendis præ aliis populis singularem diligentiam adhibuerunt, hoc opus adscribere non adeo ineptum censi queat. Itali enim aquarum mineralium adsueti,

³ Franz Johann Wilhelm von Salm-Reifferscheidt-Dyck (* 28. November 1714; † 17. August 1775 auf Schloss Dyck) war regierender Graf von Salm-Reifferscheidt-Dyck.

earumque salubritatem experti, quando ad Rhenum consederunt, aquarum semper cariosos fuisse monumenta veterum satis probant.

Ipsa etiam investitura lignea, qua puteus ad magnam profunditatem septus est, etsi recenter passim renovata sit, sapit antiquitatem, & a proximorum superiorum sæculorum moribus ædificandi abludit. Atque dum ad altissimi & late extensi montium jugi radices hæc exsilit aqua, facile credi potest, ingentem minerarum ibi latere thesaurum, qui fonti per sæcula fluxuro sufficientem potuerit subministrasse materiam. Quum vero accolis hæ aquæ semper gratissimæ, & in pretio habitæ fuerint, quo minus ad externos earum fama transiret, defectus <2> scriptorum fecit, quem defectum sub Vestro COMES ILLUSTRISIME, imperio, ego deyotissimus subditus supplere, & quantum ex tyrocinio meo sperari poterit, fontem explorare & notiozem facere decrevi, ut quemadmodum vetus hic, & vivus fons perantiqui & perennantis Vestri generis symbolum est, hoc opusculum submissæ meæ reverentiæ signum existeret. Neque dubito fore ut fons hic salubritate paucis aliis cedens VESTRO favore, & munificentia debitam acquirat celebritatem, multisque usui, & præsidio fiat.

Faxit Deus Ter Optimus Maximus ut illustrissima Vestra Persona & celsissima domus sempiterno fruatur felicitatis, & prosperitatis beneficio, atque ut hanc mei ipsius, & mei opusculi dedicationem gratiosa fronte accipere velit, devotissime rogo. Duisburgi ad Rhenum ipsis Calendis Martii MDCCLXXIV.

F. W. KAULEN. <3>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
IN QUA PROPONITUR
EXAMEN
FONTIS MINERALIS
SOTERII ROISDORFFIENSIS
PROPE BONNAM.

§ I.

Aquas sic dictas minerales in thermas & acidulas seu soterias difsingui satis pervulgatum est, conveniuntque binæ in eo quod præter aquam alia adhucdum propria sibi admixta habeant. Præcipuus autem character eas distinguens est proprius thermis calor quippe qui in stricte dictis acidulis deficit. <4>

§ II.

Quoniam autem principia elemento aquæ in his fontibus admixta diversa indole ac agendi virtute inffruda, neque in omni fonte eadem quanti tate ac ordine adfunt, hinc fontibus his etiam diversa in corpus humanum agendi virtus competit ita ut nonnulli eorum plurimis falutem, quidam vero multis noxam non levem inferre valeant.

§ III.

Atque hæc diversa fontium in corpus humanum agendi virtus medicos a longis ab hinc temporibus circa fontes attentos reddidit, atque ad indagandas hujus in divertis fontibus differentis actionis causas allicuit.

§ IV.

Veteres Medici, quippe scientia chemica fere destituti atque ab effectibus quos a talibus fontibus corpori humano applicatis produci observabant, nescio qua ratione, concludentes, aquis sic dictis mineralibus varia affingebant ingredientia, ut nitrum, sal armoniacum, aurum, argentum, arsenicum aliaque, quæ vix in terra simul ullatenus fune reperiunda, <5> quæque sub illa forma sub qua in terræ visceribus reperiuntur aquæ non sunt miscibilia.

§ V.

Recentiores vero utpote chemiæ magis gnari, neque ab effectibus cfcas conclusiones deducentes has scaturignes examine chemico explorarunt, & invenerunt, hæc a veteribus his fontibus adscripta ingredientia esse tantum imaginaria, & nullatenus demonstranda, aliasque insignibus sæpe viribus instructas particulas in iis deprehenderunt, sicque remedia quibus sanitas præsens conservari, & amissa reditui potest majorem acceperunt certitudinem.

§ VI.

Quotquot autem hucusque fontes exploratos ac descriptos habeamus, nullibi a quopiam mentionem factam esse memini de fonte, quem ab adjacente pago Roisdorff Roisdorffiensem vocabo, cum tamen vel obiter intuenti non vulgaris notæ esse videatur, & ab accolis jam dudum titulo fontis soterii insignitus fuerit, quare ejus examen & descriptionem occasione hac inaugurali in me suscepi, & hic quæ de eo observarim, quæque ejus ingredientia detexerim sincere describam, subjungam <6> demum quibus virtutibus instruusus fit & qualis ejus sit usus.

§ VII.

Fons hic Roisdorfiensis dimidio miliari germanico distat Bonna, duobus & dimidio miliari Colonia Agrippinensium, scaturit in regione propter sylvas, vineas, agros, prata, aliasque amœnitates ad cujuslibet animum recreandum satis idonea, ad radicem montosi illius tractus qui vulgo *das Vorgebürg* dicitur. Fons autem satis profundus est, ut distantia ab ora ad fundum viginti quatuor pedes adæquet, circumcirca ab immemoriali tempore parietes putei septi sunt asscribus ligneis crassioribus ita sibi adaptatis, ut latus unum quadrati cavitatis internæ quinque circiter pedes habeat. In spatii hujus quadranguli fundo ex triplici vena tanta copia effluit aquæ, ut viginti quatuor horarum spatio limites transgrediatur, & in vicinum rivulum effluat. Atque hæc de iis quæ extra fontem sunt sufficient.

§ VIII.

Videamus nunc quæ in ipso fonteprehenderim, quæ sunt: spiritus quidam mineralis, ramenta quædam martialia⁴, sal aliquod alcalicum, portiuncula terræ, & horum omnium excipiens nempe aqua. <7> Quod primum scilicet spiritum illum mineralem attinet, [...] nunc fere quilibet scatebram inspiciens valde copiosum adesse cognoscit, tanta enim bullularum copia in eo continuo ad superficiem aquæ ascendit, ut primo intuitu aquam ebullire jurates, cum tamen admodum frigida semperprehendatur. Similiter aqua puro vitro ex scatebra hausta adhuc multas tales bullulas ad superficiem aquæ dimittit, qua ibi ærem attingentes & majorem libertatem nactæ disrumpuntur & evanescent, quod autem copiosius & citius contingit, si aquam parum calefeceris. Idem spiritus etiam cognoscitur per concussionem aquæ, si enim vitrum angustioris orificii acidulis Roisdorffiensibus ad dimidium repletum appposito ad orificium digito agitur, remotoque dein digito subito admittatur aër, tum cum impetu vel dispergitur merus vapor nares titillans, vel si aqua orificio vitri proprior fuerit, hæc ad magnam distantiam protruditur. Præterea spirituosum aliquod, & volatile principium fonti Roisdorffiensi admixtum esse evincit sic dicta vappescentia, seu aquæ ad liberum aërem expositio; si enim aqua libero aëri aliquamdiu fuerit exposita, purpureum & nigricantem, quo recens ab insperso gallarum pulvere tingitur colorem plane renuit, <8> & vix aurantium assumit, unde concludere licet illud, quod antea hanc tincturam faciebat, nunc concesso liberiore aëris accessu avolasse.

⁴ Hier sovielwie eisenhaltig.

Atque ex his spirituosum aliquod elementum fonti nostro admixtum esse satis patere existimo.

§ IX.

Demonstrata igitur spirituosi elementi in acidulis Roisdorffiensibus præsentia alterum ingrediens martialis scilicet prosapiæ investigandum erit. Hoc quidem satis cognoscitur per ochram quam fons in secessu relinquit quæque igne vehementi simul cum phlogisto quodam admisto exusta magnetem sequitur; præterea tamen etiam cognoscitur per plenariam aquæ recentis evaporationem, residuum enim si sufficiente ignis gradu torquetur, pro parte etiam magneti adhæret. Ad principia martialia demonstranda etiam antea memorata vappescentia institui potest, spirituofo enim elemento utpote proprio martis in aquis mineralibus contenti menstruo avolante, hic proprio suo pondere fundum petit, & sub specie pulveris ex flavo rubicundi præcipitatur, qui magno igne ustus magneti sicuti ferrum aliud adhæret.

Celebre quoque martialium aquarum examen est quod per tingentia instituitur adhibui igitur <9> etiam hæc tingentia, & quidem inspersi aquæ pulverem gallarum: & ecce mox aqua limpida & excolor flavescit, paulopost sub continuo ascensu & descensu pulveris purpureum & tandem nigricantem colorem contrahit, sed aqua antea pellucida nunc simul turbatur. Eadem fere phænomena ab inspersis theæ foliis producuntur, sed cum hac differentia, quod longius tempus requiratur, & color ab injectis theæ foliis non tam profunde nigricet quam a gallarum pulvere; hanc autem tincturam plane renuit aqua spiritu suo per aëris accessum spoliata. Quare si quis acidulas martiales examinare voluerit, utrum bonæ adhucdum, aut corruptæ sint, is hoc facillime per adspersionem gallarum cognoscere poterit. Ex his quidem etiam martis præsentia satis constat, quantitas autem ejus inde non potest determinari, & sane accuratam hujus principii dosin seu pondus determinare admodum arduum est, neque ulla via hanc dissicultatem plane superans mihi cognita est. Præ aliis tamen methodis GRABBELERO in tractatu de acidulis germanico idiomate conscripto § 69 arridere videtur vappescentia, atque mediante hac particularum martialium facta præcipitatio. Hanc igitur institui, & ex aquæ tribus libris œconomis & demidio, vix tria grana terræ martialis obtinere potui. <10>

§ X.

Reliqua adhuc fontis nostri ingredienda indagaturus varia affudi acida uti spiritum & oleum vitrioli, spiritum nitri, spiritum salis communis, acetum, vinum, atque ab omnibus producebatur effervescencia pro diversa acidi fortitudine varia unde sal quoddam alcalicum adesse suspicabar. Ut autem de alcalico hoc sale fierem certior, ex cucurbita vitrea super ignem arenæ evaporationi exponebam libras duas & semis sive uncias quadraginta aquæ, ex qua prius per vappescentiam principia martialia præcipitaveram. Expulsa hoc modo aqua obtinebam dragmam unam & semis pulveris albi, terreo salini, qui in aqua iterum solutus, aquam valde reddebat turbidam successive autem exigua pulveris terrei quantitas subsidebat ad fundum, & aqua supernatans fiebat magis pellucida. Facta autem percolatione in filtro retinebam terræ albissimæ grana decem & sex. Aqua vero quæ per filtrum fluxerat, post institutam super ignem arenæ evaporationem largiebatur salis dragmam unam.

§ XI.

Ut salis hujus naturam rectius possem determinare sequentia institui experimenta; primo varia affudi acida & cum singulis effervescebat. Deinde solvi <11> iterum aliquid hujus salis in aqua, & syrupo violarum affudi, & mox color hujus cœruleus in viridem permutabatur. Tertio solvi aliquid mercurii sublimati in aqua, affudique solutionem salis illius, & mercurius mox sub forma flavi pulveris præcipitabatur. Quarto sulphuri fuso admiscebam hoc sal & obtinebam verum hepar sulphuris. Tandem sal hoc cum sale armoniaco terebam & solvebat spiritum hujus urinosum, ut in auras avolans nares acriter pungeret. His recte perspectis nemo dubitabit de alcalina hujus salis indole.

§ XII.

Restat nunc adhucdum, ut dicam cujus indolis ac naturæ sit terreum illud principium quod juxta § 10 in filtro remansit, & hanc quidem calcaream esse deprehendi, nam solvitur in spiritu nitri, non tamen tota nam ex granis VIII in hoc menstruo solutis duo grana solutionem respuebant. Aqua etiam portionem quandam madefeci, ignique exposui experturus, utrum converteretur in laterem sed minime, massa enim post sublatam ignis torturam adeo friabilis erat, ut vix non sponte in pollinem collaberetur, quare terram hanc non argillosam, neque vitrescibilem, sed calcaream esse concludi. <12>

§ XIII.

Inquisitis nunc demonstratis fontis Roisdorffiensis principiis adhuc indigitandum restat, quænam ob hæc ingredientia fonti nostro adscribenda sint medicæ virtutes. Quod ut melius succedat, prius videamus quibusnam quodlibet ingrediens polleat qualitatibus medicis.

§ XIV.

Igitur initium faciamus ab aqua utpote reliquorum omnium vehiculo cujus omnes qualitates uti æquum esset hic enumerare, nimis prolixum foret, sufficiat igitur præcipuas ejus virtutes hic obiter tantum attigisse, & primo quidem audiamus Fridericum HOFFMANNUM⁵, Med. rat. systemat. tom. 2, part. 3, cap. 3, § XIX. de aqua dicentem:

*non præsentior medicina adversus morbosa salia &
ab iis nascentes morbos ipsa communi aqua frigide
& calide largius hausta datur utpote quæ commode
omnis generis salia diluit, atque imbibit. Præterea
viscidos humores dissolvit, obstructa vasa aperit, &
per urinam æque ac sudorem excrementitia salia
evehit.*

Atque idem citatus author aquam simplicem omnibus aliis medicamentis præferendam esse arbitratur, med. rat. system., tom. 3, sect. 1, cap. 10, § 1 de aqua ita <13> dicens:

*utpote quæ in omnibus individuïs, omnibus
morbosis afflictionibus tam internis, quam externis,
acutis & chronicis tam incomparabilem affert opem,
ut nulla alia medicina huic æquiparari possit.*

Plura de aquæ salubritate hinc inde in suis scriptis modo citatus author profert encomia, ubi præcipue legi meretur dissertatio ejus de aqua medicina universali, ubi pluribus laudes aquæ simplicis frigidæ extulit.

⁵ Friedrich Hoffmann (* 1660 in Halle (Saale); † 1742 ebenda) war ein deutscher Mediziner der Frühaufklärung; er schrieb u.a. *Medicina rationalis systematica*. 4 Bände und das Supplement De præcipuis infantum morbis. Renger, Halle 1718–1740.

Neque minus aliorum scriptorum loca in aquæ laudes adduci potuiunt, & quidem CELSUS⁶ lib. I, cap. 15 aquæ frigidæ usum vehementer commendare videtur, dum ait:

quos capitis imbecillitas torquet, iis usus aquæ frigidæ prodest, sed iis etiam, quos assiduæ lippitudines gravedines, destillationes, tonsillæque male habent.

Præterea BALLONIUS⁷ lib. 1 epidem. pag. 106 non satis mirari potest,

cur in herpetibus, inflammationibus, in quibus humectandi & refrigerandi consilium est, non potius ad aquam & succum plantaginis accedamus.

Neque minora immortalis BÖERHAAVE⁸ commentarii de aqua declarant, inquit enim instit. med. § 56

Potus autem, si aqua pura & cursu exercitata, crudus optimus,

& lib. cit. § 1091

Tum aqua frigida, limpida, <14> levissima, inodora, infusa, cursu exercitata per flumina pura est potus optimus homini robusto,

& § 1058 ait

Potus aqua bona frigida, parca soli siti, dilutioni, temperiei inserviens maximis laudatur effectuum exemplis.

Atque hæc nunc de aquæ frigidæ præstantia sufficiant.

⁶ Aulus Cornelius Celsus (* um 25 v. Chr.; † um 50 n. Chr.) war ein römischer Enzyklopädist und einer der wichtigsten Medizinschriftsteller seiner Zeit. Über sein Leben ist wenig bekannt.

⁷ Guillaume de Baillou (auch Ballonius; * 1538 in Paris; † 1616 ebenda) war ein französischer Arzt und Begründer der modernen Epidemiologie.

⁸ Herman Boerhaave (* 1668 in Voorhout; † 1738 in Leiden) war ein niederländischer Mediziner, Chemiker und Botaniker.

§ XV.

Non autem de omni aqua hac tam præclara encomia dicta volo, una enim aqua præ altera longe salubrior existit; inquirendum igitur nunc est, quænam aquæ præ reliquis sint commendandæ, passim in eo conveniunt authores, aquam nempe eo esse salubriorem, quo leviores est. Aqua autem eo levior esse censetur, quo plus spirituosi elementi in se continet, nunc vero ex dictis § 8 spirituosum hoc principium fonti nostro largius inhærere patet, aquam fontis hujus leviores, consequenter etiam saniores esse, legitima conclusione infertur. Illæ præterea aquæ præ aliis commendari solent, quæ puriores, id est a particulis heterogeneis magis liberæ deprehenduntur. Hanc quidem puritatem fonti Roisdorffiensi minime affingere possum, neque video quid damni ab admixtis fonti nostro principiis oriatur, cum potius singula, uti statim pluribus evincere conabor ad salubriorem <15> in corpore humano effectum producendum a benigna natura addita sint, & variarum acidularum eadem fere principia vehementium laudi ne tantillam detrahatur. Potius igitur hæc puritas limitanda esse videtur, & intelligenda hic est aqua a rudiori terra, a crudioribus salibus, ab inferiorum ovulis, similibusque corpori nocivis inquinamentis immunis. Tandem & illæ aquæ sanitatis amicæ deprædicantur in quibus legumina cito percoquuntur. Habet hanc qualitatem aqua Roisdorffiensis, ut legumina in ea cito emolliantur, quare etiam ab accolis in culina frequenter adhibetur. Quæ cum ita sint, neminem amplius de bonitate aquosi elementi fontis Roisdorffiensis dubitari credens ad spirituosum me converto principium.

§ XVI.

Hunc autem spiritum, ut cum SCHULZIO⁹ loquar, merito animam ac vitam aquarum dicas. Est autem hic spiritus mineralis substantia quædam valde subtilis, & activa, elastica, naturæ acido vitriolicæ, sed valde volatilis. Rem ita se habere confirmat sæpe citatus Frid. HOFFMANNUS in dissert. de elementis aquar. mineral. recte dijudicandis, & examinandis, nec non SCHULZIUS in sua materia medica, nec non conferri meretur materia <16> medica BUCHNERI. Hic spiritus ipso odore sese in sensus ingerit, blando halitu nares ferit, caput opplet, unde etiam homines, qui fontem exhausta aqua intrant, atque a

⁹ Johann Heinrich Schulze (* 1687 in Colbitz; † 1744 in Halle (Saale)) war ein deutscher Universalgelehrter: *theses de materia medica*. Halle 1746

sordibus repurgant, quasi ebrii solent extrahi, hic spiritus causa est, quod aquæ eo imbutæ non tam refrigerent corpus, quam calefaciant, & stimulent, ita ut magno calore æstuant bonum aquæ Roisdorffiensis admodum frigidaë haustum sumere audeant, sine consuetis talem aquæ frigidaë ingestionem sequentibus symptomatibus. Propter hunc roborantem, & calefacientem spiritus effectum arteriæ post assumptam aquam fortius & crebrius pulsant; idem hic spiritus propter summam suam activitatem prompte pervadit corpus,

tenuitate sua per ultimas, uti ait HOFFM. in dissert. de element aquar. min. recte dijud. & examinand. § XVII. vasorum angustias strenue eluctatur, fibris motricibus, & organis robur addit, stimulumque infert, ut pertinacius obstructa referentur, noxiumque æque ac superfluum per omnis generis emunctoria alvum nempe, urinarias vias, salivam, imo non raro per vomitum ex superioribus, prout varia naturarum est dispositio, eliminetur, ac exturbetur.

De egregiis hujus spiritus virtutibus possem quidem adhuc <17> varia loca ex modo citato Frid. HOFFMANNO adducere, hæc tamen nunc de eo sufficiant, sufficienter enim ex dictis patet, quod tantum absit, quod spiritus hic aquæ noxiam quandam labem affricet, ut potius minerales aquas hoc spiritu spoliataë fiant graviore, non tam penetrantes, consequenter insalubriore,

ex quo inquit SCHULZIUS in mat. med. § XXIII. cognoscas vires earum – scilicet aquarum mineralium – potissimas in principio hoc spirituoso recedisce.

§ XVII.

Neque alterum aquam Roisdorffiensem ingrediens principium ferrum scilicet, fonti aliquid de virtutibus detrahit. Id enim & sanitati conservandæ idoneum, & ad morbos varios profligandos, commodissimum esse, tum copiosus ejus proventus tum permagna præparatorum martialium in officinis prostantium cohors satis

evincunt. Quod primum attinet, videmus omnes fere acidulas aliquid ferri continere, neque tamen propterea earum virtutem vel tantillum imminui, sed e contra egregium potius eas inde capere augmentum passim ab authoribus asseritur. Et certe si ferrum sanitati esse inimicum, quis tuto olera, aliaque vegetabilis, <18> quis carnes assumere auderet, cum in omnibus hisce ferrum latere jam dudum fit demonstratum, de quo legi meretur dissert. inaugural. de ferro a J. A. DE BLECOURT¹⁰ hic anno 1734 habita. Audiamus quid Frid. HOFFMANNUS in sua dissert. de element. Aquar. mineral. recte dijud. & examinand. § 44 proferat.

*Mars autem inquit uti omnium maxime medica
virtute gaudet, & saluberrimum est metallum, ita
etiam aquæ, quæ illum complexu suo susceperunt,
salubritate etiam præ reliquis magis sunt
commendabiles.*

Quam felici cum successu mars detur in malo hypochondriaco, & in huic affini passione hysterica, quam egregie infestam virginibus chlorosin, sanguinisque pallorem discutiat, quam egregie amissum vasorum tonum restituat, quotidiana pradicorum docet experientia. Neque tamen eo minus ad resolventium classem refertur; vasa enim roborata majori cum vehementia micant, sanguinem melius propellunt, majorem in contenta vim exerunt, etsic obstructions, si non omnes, saltem illas, quæ a nimia viscositate, vasorumque inertia originem ducunt, referant, atque tollunt. Quæ cum ita se habent, non levis profecto utilitas, ac medica virtus fonti nostro ob admixta manis ramenta adscribenda erit. <19>

§ XVIII.

Quod vero sal illud alcalicum, utpote tertium fontis Roisdorffiensis principium attinet, magna inde fontem agendi virtute instrui quilibet rerum gnarus facile perspicit; atque non deficiunt authores egregii hujus salis præstantissimas virtutes confirmantes, & quidem sæpius citat. Frid. HOFFM. med. rat. System. tom. 1, lib. 2, cap. XV. § 8. in scholio dicit, salia alcalia fixa, imprimis terrestria concoctionem ciborum egregie promovere, illa vero, addit, quæ hoc præstant, optima &

¹⁰ Nicht identifiziert.

tutissima ad vitam conservandam remedia haberi debent. Præterea salia alcalia absorbent omnia acida, eorum vim corrosivam destruunt, atque suscepto in connubium acido viscidos ac tenaces humores incidunt, lenique suo stimulo vel per alvum, vel diuresin, vel diaphoresin movent, & prompte per excretoria transeunt. Idem lib. cit. tom 3, sect. 2, cap. IV. § VIII in theorematibus.

§ XIX.

Omissis pluribus salis alcalici encomiis de ultimo fontis nost[r]i ingrediente terra scilicet calcarea pauca memorabo; hæc terra propter calcariam suam indolem omnem acrimoniam absorbet, per urinam <20> educit, & cum obvio acido quasi in sal medium conversa uti alia ostracodermata non levem utilitatem in corpore exercere potest.

§ XX.

Vidimus nunc quænam singulis ingredientibus adscribenda sit virtus, quam in sanitate præsentè conservanda, amissa vero restituenda singula hæc polleant efficacia. Omnia autem hæc simul sumpta, quemadmodum e terræ sinu effunduntur, mixturam naturalem constituunt omni artificio præferendam; hæc enim naturalis mixtio, & ad chylificationem, & ad secretionem & excretionem admodum conducit. Ut primum magis planum fiat, videamus, quænam impedimenta chylificationem perturbent, & an hæc ab usu fontis nostri tollantur.

§ XXI.

Non leve detrimentum chylificatio patitur a muco viscido ac acido in ventriculo ac intestinis copiosius collecto: sed Hem! quam egregium, quam efficax resolvens & evacuans hujus mucii remedium in fonte nostro latitat! sal alcalicum, terreumque illud principium cum obvio acido in sal medium tranfiens glutinosam hanc massam prompte incidit, atque per alvum commode educit. Hæc <21> vis nimiam mucositatem destruendi augetur per additum a martialibus ventriculi robur, robustus enim ventriculus nullam acidam, mucidamque massam intactam retinet, sed eam motu suo vermiculari attenuat, resolvit, alterat, expellit. Atque hac vi roborante sive ob martem, sive ob spirituosum elementum instructa aqua alterum concoctionis impedimentum nimiam scilicet ventriculi lassitudinem ac inertiam prompte tollit, atque sic concoctionem ciborum, & inde pendentem chylificationem egregie promovet, quæ virtus adhuc augetur per insitam huic mixtioni ob aquosum principium diluentem ac solventem

naturam. Aquosum enim vehiculum ingesta diluere nemo negat, & alcalicum sal huic vehiculo inhospitans ad solutionem, id est particularum utilium ex inutilibus extractionem multum conferre, satis credo, evincit mos ille, quo plerique rerum intelligentes infusis quibusdam ac decoctis ad meliorem particularum extractionem salia quædam alcalica adjicere solent. Ad hæc non parum sane ad chyli bonitatem confert particulerum pinguium eum aquosis mixtio æqualis & temperata; hanc autem a salibus alcalicis promoveri exemplo saponariorum evincimur: atque his recte consideratis fontem nostrum ad generationem boni <22> chyli permultum contribuere satis patet. Chylus autem bonus, idest temperatus, seu æquabiliter mixtus, & satis dilutus vasa lactea facile subit, per ea ad commune chyli receptaculum, & inde per ductum thoracicum ad sanguinem deducitur, eique miscetur. Talis autem chylus universali humorum massæ mixtus facillime in bonum sanguinem convertitur, præcipue, si sufficiens vasorum robur, & actio adsint. Chylus autem aqua Roisdorffiensi dilutus, & addit robur, & stimulat ad actionem propter admixta enim martis ramenta roborat, propter spirituosum vero elementum admixtaque salina principia vasa ad debitam actionem exercendam stimulat, consequenter etiam ad sanguificationem confert.

§ XXII.

Non tamen semper ventriculus onustus est cibis, nec intestina continuo chylo turgent, quare aqua tunc temporis ingesta nil inveniens, in quod actionem quandam exerceat, vasa lactea subit fere immutata, acida in his ac tartarea concrementa solvit, ac in sanguinem deducit, atque sic chylo secuturo viam pandit.

§ XXIII.

Vidimus nunc qua ratione fontis nostri usus <23> chylificationem adjuvet, videamus nunc etiam quomodo secretiones, & excretiones promoveat. Præcipuæ secretiones fiunt in glandulis, quid sit glandula hic non sit dijudicandum: ad hanc autem secretionem rite peragendam requiritur certus aliquis tonus, id est, glandula neque nimis laxa, neque nimis rigida esse debet, utrumque exspectandum est ab usu fontis nostri, subtilissimo enim, & penetrantissimo suo spiritu glandulas nimis laxas stimulat, roborat, atque contrahit, propter continuam autem humectationem, & novæ lymphæ affluxum glandulæ æquæ ac aliæ partes emolliuntur, ac relaxantur, semper igitur in statu naturali conservantur.

Alia secretio fit in visceribus talis e. g. est secretio urinæ, hæc autem promovetur impliciter per diuretica. Roisdorffiensis autem scatebra virtute diuretica vix ulli remedio cedit, etsi nulla alia virtute polleret propter hanc unicam summis (lau)laudibus digna esset. Singula enim ejus ingredienda ad urinam pellentia referuntur a BÆRHAVIO & quidem instit. med. § 1222 nro. 1. & seq. diureticorum numero adscribit aquam, alcalifixum, uti & ostracodermata id est absorbentia. Ecce hæc omnia demonstrata sunt in fonte nostro. Sed propter <24> tantam diureticorum dosin nimiam inquis ditiresin fore exspectandam aut saltem fontem parcissimis dosibus fore exhibendum; minime; profecto; & neminem nimia inde diuresi laborasse percepi, cum tamen a nullis fons hic pro potu ordinario satis largiter hauriatur, & quare hoc? si BÆRHAVIO lib. cit. § 1224. nro. 2. fidem adhibere placet, hæc nimia diuresis per additum a natura adstringens martiale principium averti videtur. Ex his patet acidulas Roisdorffienses ad urinæ secretionem & excretionem multum contribuere; cum vero nunc per debitum urinæ fluxum non modo sanitas præsens conservari, sed etiam multi morbi possint profligari, uti confirmat BÆRHAVIUS lib. cit. § 1220 magna hunc fontem in medicina virtute instructum esse, licet concludere.

§ XXIV.

Neque minus hic fons confert ad bonam bilis secretionem, & excretionem alvi. Salibus enim alcalicis ea inest virtus, ut ductus choledochos aperiant, bilem nimis tenacem nimis acidam emendent, sicque ejus secretionem promoveant; bilis autem bene secreta alvum optime subducit, est enim stimulans, & purgans naturale, quare ab usu fontis <25> Roisdorffiensis & bilis bene secernitur, & alvus de suo munere admonetur.

§ XXV.

Una nunc notatu digna excretio inquirenda superest, transpiratio nempe sanctoriana. Quam etiam a fonte Roisdorffiensi promoveri, assero. Aqua enim spirituosio illo elemento imprægnata massam sanguineam subit, cum ea miscetur, a corde per arterias pro parte ad peripheriam corporis defertur. Ubi aqua nunc tepida poros cutis relaxat, spiritus autem hujus caloris impatiens avolat, poros cutaneos aperit, & sic transpirationem optime promovet. Quæ tamen transpiratio in pulmonibus ob laxiorem eorum substantiam, majoremque vasorum copiam necessario major erit.

§ XXVI.

Ex dictis nunc satis patere existimo magna in se & excretionibus promovendis, & in morbis tum præcavendis, tum profligandis fontem Roisdorffiensem instructum esse virtute ac efficacia; quæ virtutes eo magis æstimandæ sunt, quoniam aquæ in vasis bene obturatis sine notabili detrimento transportari, & diu asservari possunt. <26>

§ XXVII.

Quod nunc adpotum ipsum aquæ hujus attinet, sequentes regulas nobis a clarissimo LEIDENFROST¹¹ meo in cineres usque venerando præceptore de acidulis in genere, Roisdorffiensibus commendatas volo. Omnes nimirum acidulæ quoniam stimulante suo spiritu motus tam progressivos, quam internos augent, subjectis ad febres, hæmoptyses, aliasque sanguinis ebullitiones inclinantibus non admodum conveniunt; neque etiam phtisici aut ad ulcera interna imprimis cancrosa dispositi illas hauriant.

Propter eundem tamen stimulantem spiritum hominibus debilibus, in morbis mucosis, in reliqui(i)s febrium fugandis, & in incipientibus viscerum obstructionibus admodum salutare sunt acidulæ. Nimia autem acidularum ingurgitatio utique nociva esse potest, hinc tutius sequimur methodum Slairianam, quippe quæ suadet tantum mediocrem copiam per longius tempus protrahendam; atque non levem utilitatem acidulæ habere solent, si per totum diem pro potu ordinario sumantur, si tamen appetitus inde imminueretur, utique consultum erit, ut protinus ab illis abstinenceatur.

Poterit etiam aliquis, si gustui ita placuerit, <27> fonti Roisdorffiensi aliquid lactis, aut vinum cum sacharo non sine fructu admiscere. Hæc nunc sufficere existimans cuilibet acidulas haurienti optimam diuturnamque sanitatem apprecans huic dissertationi impono

FINEM.

¹¹ Johann Gottlob Leidenfrost (* 1715; † 1794 in Duisburg) war ein deutscher Mediziner und evangelischer Theologe: *De aquae communis nonnullis qualitatibus tractatus*. Duisburg (1756).

THESES.

1. Irritabilitas non ad animam, sed ad corpus pertinet, quia sine corpore nullibi existit.
2. In statu naturali non datur aër thoracicus.
3. Pars tendinea diaphragmatis in homine non movetur.
4. Musculi intercostales externi sunt antagonistæ internorum.
5. Sudor post pastum accedens noxius, lenis horripulatio salutaris.
6. Melius est cibum capere in loco frigido, quam calido.
7. Inoculationem variolarum non approbo.
8. Sanguis menstruus ab omni cacochymiae labe non est immunis.
9. Quare menstruorum suppressio tot morborum causa est.
10. Omissio deligationis funiculi umbilicalis non est absolute lethalis.
11. Ex pulmone in aqua natante non valet conclusio foetum respiravisse. <28>

Nobilissimo ac Doctissimo Domino
FRANCISCO WILHELMO KAUHLEN

Fausta quavis precatur
Ac honores doctorales gratulatur
CHRISTIANUS AREND SCHERER.

Apud veteres jam indubitata quadam erat propositio, quod ratio & experientia duo essent artis medica fulcra optima, quibus omnino tuto & firmiter inniti possit sacra Hygiene & quamvis olim sæpe inutiliter disputatum fuerit, cui ex hisce fulcris prorogativa concedenda & anne unum vel alterum in totum excludi debeat; tamen hodie nemo rationalis medicus de duorum commemoratorum fulcrorum summa necessitate & debita copula in optima artis praxi facienda amplius dubitare solet. Monstrat & præsens dijsertationis Tuæ inauguralis specimen egregium, pereximie Domine Candidate, felix horum duorum fulcrorum consortium ac necessarium connubium. Quare Tibi ex animo gratulor. Gratulor de studiis academicis feliciter absolutis. Gratulor summos in arte nostra honores optime promeritos & in omnibus Tuis actionibus & conatibus divinam benedictionem ex intimo corde apprecor. Vale & rem Tuam ex voto gere. Deproperabam die XXIV. Febr. MDCCLXXIV. [=24.02.1774]. <29>

Præstantissimo Doctissimoque DNO. FRANCISC. WILHELM. KAUHLEN Doctoris medici honorem ex merito petenti S. D. P. JOHANN. GOTTL. LEIDENFROST Med. Doct. & Prof. Publ. Ord. Fac. Med. b. a. Decan. Acad. Imp. N. C. & Reg. Sc. Berol. Sodal.	Præstantissimo doctissimoque Domino Francisco Wilhelmo Kauhlen doctoris medici honorem ex merito petenti salutem dat plurimam Johann Gottlob Leidenfrost medicinæ doctor et professor publicus ordinarius, facultatis medicæ b. a. decanus, academiæ imperialis [Leopoldinæ] n. c. et regiæ scientiæ Berolinensis sodalis
---	--

	Dem hervorragenden und gelehrten Herrn Franz Wilhelm Kahlen, der die Würde eines Doctors in der Medizin mit seiner Arbeit erstrebt, gratuliert Johann Gottlob Leidenfrost, Doktor der Medizin, ordentlicher und öffentlicher Professor, Dekan der medizinischen Fakultät, Mitglied der Akademie Leopoldina und der königlich Preussischen Akademie der Wissenschaften
--	--

Qui ad docendum constituti sunt, & in publico tali munere versantur quod animi culturam juventutisque eruditionem pro scopo habet, nil gratius aut amœnius experiti, nec majorem studiorum & laborum suorum mercedem sibi optare possunt, quam successum videre suæ institutionis & virorum Doctorum ex suis scholis egressum. Hoc hodie denuo mihi contingit gaudium, quando Tibi, vir præstantissime, qui hactenus sedulus nihi auditor, solers omnis bonæ doctrinæ indagator, diligentia aq̃tte ac modestia laudatissimus amicus fuisti, honorem doctoralem, apprime a Te promeritum, destinavimus, Theoriæ enim nostræ artis felicissime gnarus, ut in examinibus tam publicis quam <30> privatis nil quæstionum esset, ad quod non promte responderes, id quod etiam dissertatio Tua proprio Marte elaborata declarat, talia quoque judicii practici specimina exhibuisti, quæ fidem non vanam faciunt, Te cum fructu & humani generis emolumento artis excercitationem suscepturum esse. Det Deus optimus maximus Tibi vires animi corporisque, quibuscum &

diutissime salvus manere, & in gloriam divini numinis, proximique salutem & in Tuam Tuorumque utilitatem commoda operas Tuas collocare queas. Vale igitur mane nostri memor, quemadmodum Tui semper cum favore reminiscar & cum amicitia. Vale. Duisburgi ad Rhenum, die XXVI. Febr. MDCCLXXIV. [=26.02.1774] <31>

O Collega mihi, quænam Titi nomina laudum;
 Quænam pro meritis dulcia verba canam?
 Dum grato studio nunc tantam colligis artem.
 Ut pellas morbos dexteritate Tua.
 Dum signum, nomen, causas, discrimina noscis
 Sic inter doctos Te numerare queo,
 Hoc nunc demonstras dum fontem scribis Amice
 Hoc clare monstrant, doctaque scripta docent.
 Jucunde sanare doces tutoque citoque
 Hinc honor est KAUHLEN, gloria, fama decus,
 Perge ergo Doctor doctarum sacra sororum
 Inservire, dabit docta Minerva Tibi
 Munera, perge diu medicamine pellere morbos
 Et tanquam victor morte redi refuga,
 Perge, salutarem laurum Tibi trædit Apollo
 Vive diu Doctor, vive diuque vale.

Hæc paucula doctissimo respondenti amico suo in amicitiae semper
 continuandæ tesi eram gratulabundus adjicere decuit Joannes
 BUERSINCK med. cand. opponens ordin., Haxberga [=Haaxbergen]
 Transisalanus [=Overijssels] Batavus.

Non facile emergunt turpi languore sepulti,
 Non facile pigros ulla corona tegit.
 Ast quascumque parit natos divinus Apollo
 His quoque perpetuo lausque decusque manent.
 En KAUHLENE tibi cinguntur tempora lauro
 Quo pede cœpisti, tu pede semper eas,
 Omnibus atque tuis temper Deus annuat ausis
 Et semper felix cresce, senesce, vale.

Hæcce pauca in perpetuum amicitiae signum adjecit Jos. BERNIERE,
 med. cand. opponens ordin., Tornaco Brabandus [=aus Tournai].